


Vd  
3119





h. 5

1786

2.59.17.

PROLVSIO  
DE  
*TEMPLO PACIS*  
<sup>A</sup>  
*VESPASIANO EXSTRVCTO*  
<sup>QVA</sup>  
AD AVDIENDAS VII. ORATIONES  
MÉMORIAE  
**PACIS RESTAVRATAE**  
CONSECRATAS  
IN  
CVRIA SENATORIA NOVAE VRBIS  
AD DRESDAM  
DIE XV. APRIL. MDCCCLXIII.  
HOR. II. HABENDAS  
PATRONOS ET FAVTORES  
HUMANISSIME INVITAT  
M. CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIUS  
RECTOR.

---

FRIDERICOSTADII  
EX TYPOGRAPHEO HAGENMULLERI.



PROLUSIO  
DE  
TEMPLO PACIS

MESPASINNO EXSARCITO  
AD AUDIENDAS VIV ORATIONES  
MEMORIAE

PACIS RESTAURATÆ



CARII SENATORIÆ ET CONSULATÆ ARB

AD DRESDEN

Die XX. APRIL MDCCLXXII

hier II. HABENDAS

HATRONES ET FAVATORES

HUMANISSIMA RERUM

W. CHRISTIANVS FRIDERICVS GEFELIX

RECUTOR

FRIEDRICHSTADTI

EX TYPGRAPHIO HAGENS MULIERI

Bene sapienterque monuit Cicero, rerum divinarum humana-  
rumque perscrutator diligentissimus, Graecos pariter ac Ro-  
manos in Deorum numerum retulisse, splendidissimaque tem-  
pla aedificasse rebus generi humano utilibus & proficuis.  
Quidquid enim, inquit,<sup>1)</sup> magnam utilitatem afferret generi humano,  
id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque  
tum illud, quod erat a Deo natum, nomine ipsius DEI nuncupabant:  
tum autem res ipsa, in qua vis inest major aliqua, sic appellatur, ut ea  
ipsa vis nominetur Deus, ut Fides, ut Mens. — Vides Virtutis tem-  
plum, vides Honoris. — Quid Opis? quid Salutis? quid Concor-  
diae? Libertatis? Victoriae? quarum omnium rerum quia vis erat  
tanta, ut sine DEO regi non posset, ipsa res Deorum nomen obtinu-  
it. — Utilitatum igitur magnitudine constituti sunt ii Dii, qui utili-  
tates quasque gignebant. Si quod autem bonum est, quod & praestan-  
tia & utilitate sua magnopere se commendet, & dulcedine & svavita-  
te omnibus sui desiderium excitet, sane Pax est, bonum quod omne  
genus felicitatis in se continet, & cuius commoda & fructus tanti sunt,  
ut nemo tam illustri, tamque humili statu sit positus, quin eos percipi-  
piat. Quare non est, quod miremur, Pacem a Graecis Romanisque  
pie esse cultam, in ejusque honorem tam aras quam templo splendi-  
dissima esse exstructa. Quamquam autem apud Graecos & Latinos  
scriptores, permulta loca occurrunt, quae plerumque ad hanc rem  
confirmandam afferuntur, quae tamen non de Pace Dea agunt, sed in  
quibus vox Pacis ad indulgentiam & placationem Deorum resertur,  
ideoque Deum pro DEOrum positum est: Sic Livius <sup>2)</sup> Pacis Deum

A ij

ex-

<sup>1)</sup> de Nat. Deor. Lib. II. cap. 23.<sup>2)</sup> Lib. VII. c. 2.

exposcenda causa lectisternium fuit decretum. Sic Plautus;<sup>1)</sup> Sunt hic omnia, quae ad Pacem Deum oportet adesse, h. e. ad Deos placandos: Neque tamen minus permulta, occurrunt loca, quae rem nostram, tam claram tamque perspicuam reddunt, ut nemo facile in dubitationem vocare possit, Pacem religiose esse cultam. E graecis juvat provocasse ad Aristophanis Comoediam, quae inscribitur, Εὐρύη,<sup>2)</sup> in qua non solum maxima Pacis laudes occurrunt, sed etiam plus una vice, DEAE nomine insignitur.

Ω Σεμνοτάτη βασιλείαι Θεός

Πότνι Εἰρήνη

Δέσποινα χορῶν, δέσποινα γάμων

Δέξα θυσίαν τὴν ἡμετέραν.

E Latinis commemorasse sufficiat tam Corn. Nepotem,<sup>3)</sup> qui Atticos, victoria a Timotheo parta, tanta laetitia affectos esse scribit, ut tum primum aerae Paci publice sint factae, eique DEAE pulvinar sit institutum: quam Suetonium,<sup>4)</sup> qui narrat, Vespasianum Imperatorem, Paci templum magnificentissimum exstruxisse.

Quum singulari DEI beneficio haud ita pridem, dulcissimam pacem recuperavimus, pacem jam diu desideratam, omnibusque pie colendam, rem, muneri meo scholastico consentaneam, discipulisque meis non inutilem, atque Patronis ac Fautoribus Scholae meae Gravissimis, non plane ingratam suscipere arbitratus sum, si prolusione, de Templo Pacis a Vespasiano Romae exstructo, discipulis meis audientiam facere allaborem. Versabitur autem studium meum in

eo,

<sup>1)</sup> Poenul. Ag. I. Sc. I.

<sup>2)</sup> p. 365, ed. Kast.

<sup>3)</sup> in Tim. Cap. 2. § 2.

<sup>4)</sup> in Vita Vesp. C. 9.

eo, ut descripta Pacis Dea a Graecis Romanisque culta, de Vespasiano exstructore Pacis templi, ita agam, ut tempus & locum definiam, quo templum fuerit situm, inde caussas afferam, quare sit exstructum, & tandem effigiem hujus templi addito incendii tempore adjungam.

Quoniam ex Antiquitatibus tam Graecis quam Latinis notum sit, gentiles tam Deos quam Deas coluisse, jure meritoque omnium primo quaeritur utrum Pax ad Deos an Deas sit referenda. In evolvendis autem tam Graecorum quam Latinorum monumentis, reperimus, Pacem modo ut Deum, modo ut Deam esse cultam. Ex innumeris fere locis, quibus Pacis DEI mentio fit, juvat unum alterumve attulisse. Hostiae que caesa, inquit Livius,<sup>1)</sup> Pacem Deum adorasset, & alio loco<sup>2)</sup> perpetratis quae ad Pacem Deum pertinebant, & Virgilius<sup>3)</sup> exorat pacem divum. Plura vide loca in Briffonio.<sup>4)</sup> Plerumque tamen ac DEA culta est, a Jove ex Thermide procreata. Qua fictione indicantur, Pacem esse donum DEI, quod Justitia sit innixum. In qua dubitatio non est, quin recte eleganterque judicarint. Omne enim bonum, teste Scriptura Sacra,<sup>5)</sup> proficiscitur a DEO, nec quidquam veri boni nomen meretur, quod non sit justum & honestum. Coluerunt autem Graeci hanc Deam, in primis sub figura mulieris, Plutum infantem manu gestantis. Testis est statua, quae auctore Pausania,<sup>6)</sup> apud Athenienses conspiciebatur, quoque dvitias, ex Pace redundantes, indicarunt. Apud Romanos vulgo repraefentatur, ramum olivae tenens, quae Pacis symbolum fuit, cum aliis,

A iij

<sup>1)</sup> Lib. VI. c. 12.<sup>2)</sup> Lib. XXIV. c. 11.<sup>3)</sup> Aen. Lib. III. v. 370.<sup>4)</sup> de Form. Pop. Rom. Lib. I. n. 138 p. 73.<sup>5)</sup> Jac. I. v. 16.<sup>6)</sup> in Atticis.

caduceum, Pacis legatorum symbolum, tenens serpentemque ante pedes habens. In numis cernitur, auctore Spanhemio,<sup>1)</sup> Cereris instar, spicis coronata, & cum prominentibus insuper e sinu spicis: interdum stans Pax mulieris habitu cernitur, quae dextra spicas, sinistra caduceum praefert. Neque minus numi exprimunt Pacem variis Symbolis: vel Templi Pacis in Augusto, vel Templi Jani Clusi in Tiberio, vel stantis mulieris cum Oleae ramo, seu Hasta, vel Pacis arma comburentis in Vespasiani numis. Addita sunt plerumque epitheta pulcerrima, dicitur Augusta, quia Romanis eam praestabant Augusti, Tiber. Vespas. dicitur aeterna & perpetua; hinc Virgilius<sup>2)</sup>

Quin potius Pacem aeternam pactosque hymenaeos  
Exercemus?

Praeterea in scriptis poëtarum tanta nominum Pacis copia occurrit, ut fere immensi laboris esset, omnia commemorare. Dicitur in primis a græcis eleganter *κονιστερόφος*, Sic Hesiod.<sup>3)</sup>

*Ἐγένη δὲ αὐτὰ γῆν καρποτερόφος*

quod Latini interpretati sunt, alma Pax. Sic Tibullus:<sup>4)</sup>

At nobis pax alma veni, spicamque teneto;

Perfluat & pomis candidus ante sinus.

Vi compositionis autem denotat juvenum nutritorem, descendit enim a κέρα juvencula & τρέφω alo, nutritio. Dicitur ab Aristophane<sup>5)</sup> λυσιμάχη, quod per bellulum interpretantur quia a λύω solvo & μάχη bellum descendit.

Huic

<sup>1)</sup> De usu & praest. numis. Tom. II.

<sup>2)</sup> Aen. IV. v. 99.

<sup>3)</sup> In iev. v. 226.

<sup>4)</sup> Lib. I. eleg. 10.

<sup>5)</sup> in *Ergänzung* ad

Huic autem DEAE tam Graeci quam Latini non solum cultum divinum præstiterunt, eique spicas & poma & hujusmodi alia obtulerunt, verum etiam aras templaque splendidissima exstruxerunt. Quod ad Graecos attinet, supra jam loco, ex Cornelio Nepote petito, probavi, eos ob victoriam, virtute Timothei partam, seu ut Plutarchus<sup>1)</sup> vult, post pugnam ad Eurymedonta, βαριὰν Εἰρήνης ἰδεύσαθαι, Paci aras exstruxisse. Romanos Pacis aras habuisse, auctor est Ovidius.<sup>2)</sup>

Ipsum nos carmen deduxit Pacis ad aram

Haec erit a mensis fine secunda dies.

Sunt nonnulli, interpretum, inter quos eminent Marsus ad Ovid. & Josephus Scaliger,<sup>3)</sup> qui per Pacis aram, intelligent templum, eamque aram quam Ovidius hic commemorat, a Vespafiano in Pacis templum, commutatam esse contendant. Sed errare videntur isti viri doctissimi, si antiquariis fides habenda est, quod Pacis ara in XIV. templum Pacis autem in IV. fuerit regione urbis. Fortasse huic errori ansam dedit locus quidam Clementis Alexandrini,<sup>4)</sup> cuius verba haec sunt: ὁ μὲν βασιλεὺς Ρωμαίων Νουμᾶς πρώτος ἀνθεώπων ἀπάντων πίστεως καὶ Εἰρήνης ἵερὸν ἴδεύσατο. Quamquam autem ex Historia Romana edocti scimus, Numam in primis Rom. sacra curasse:<sup>5)</sup> tamen, quoniam apud reliquos scriptores omnes, quantum nobis quidem constat, altum hujus templi silentium est, & Tertullianus,<sup>6)</sup> rerum Roman. peritissimus contendit, res divinas apud Rom. temporibus Numae nondum simulacris aut templis constitisse, putamus potius Clementem Alex memoria esse lapsum. Nam Dionysius Halic.

<sup>1)</sup> In Cimone ed. Franc. p. 487.

<sup>2)</sup> Fast. Lib. I. v.

<sup>3)</sup> in notis ad Manil.

<sup>4)</sup> Strom. Lib. V. p. 234. ed. Sylb.

<sup>5)</sup> Florus Lib. I. cap. 2.

<sup>6)</sup> in Apolog.

lic.<sup>1)</sup> gravissimus auctor, commemorat quidem Numam Fidei sacra constituisse, sed de Pace nihil legimus περὶ τοῦ αὐτῶν, inquit, ἵστηται πίστεως δημόσιας, ηγού θυσίας αὐτῆς κατεστάτη καθάπτει τοῖς ἄλλοις θεοῖς. Ex quo patet, Ovidii temporibus Romae nullum fuisse Pacis templum, sed Vespasianum primum Pacis templum, a Claudio coeptum, quam magnificentissimum exstruxisse. In quo omnes omnis scriptores hujus aevi consentiunt, numique in memoriam hujus rei excussi probant. Suetonii testimonium supra iam adduxi, cum quo amice conspirant ea quae in Plinii Historia relata legimus, quaeque infra commemorabo. Neque minus eandem rem tradidit Josephus,<sup>2)</sup> auctor coaevis, fide dignus, quique multum gratia valuit apud Vespasianum & Titum. Quem locum, quia in hac re est classicus, totum hoc ponam, sed ob rationes typographicas, tantum latine versum. Post triumphos vero & firmam imperii Romani constitutionem, Vespasianus statuit Paci templum aedificare: fecitque cito admodum & pulcrius, meliusque omni opinione perfecit. Magnis enim opibus largiter in hanc rem usus, & prisorum etiam praeclera omnia adhibens, picturis & statuis pulcerrimis illud adornavit. Omnia enim in hoc templum collata & disposita erant, quorum visendorum studio homines antea per totum terrarum orbem vagabantur, quo modo aliud apud alios se haberet, videre cupientes. Posuit autem & hic e Iudeorum templo vasa & instrumenta aurea, de ipsis glorians & se efferrens. Hactenus Josephus.

Tempus, quo Vespasianus Pacis templum exstruxit, accurate determinavit Ziphilinus:<sup>3)</sup> Ἐπὶ τῷ Οὐεσπασιανῷ ἔκτον καὶ ἐπὶ τῷ Τί-

<sup>1)</sup> Ant. Rom. Lib. I. c. 100. ed. Sylb. p. 134.

<sup>2)</sup> De bello Jud. Lib. VII. c. 5. p. 415. ed. Hav.

<sup>3)</sup> LXVI.

τὰ τέταρτα δεκάετα τὸ τῆς Ἐπίνυης τέμενος καθεορθῶν. Annus autem, quo Vespasianus VI. & Titus IV. fuit consul, incidit in A. C. LXXV. seu in Olymp. CCXIII. annum 3, quo ob quinquennalia, uno anno dilata, consulatum summis Vespasianus una cum Tito. Vtrumque ferebat consuetudo Rom. ut nimis Imperatores consulatum una cum filiis gererent ipsis annis, quibus ejusmodi solemnia celebrarent, in iisque omnes res alicujus momenti decernerent, quae vel ad res civiles, vel sacras spectarent. Sic Domitianus, A. C. LXXXV. ob quinquennalia ipse Consul fuit, eoque anno ut ex Eusebii Chronico constat, templum sine lignorum admixtione exstruxit. Sic Vopiscus refert,<sup>1)</sup> Aurelianum post quinquennalia edita, Solis templum fundasse. Quare dubitandum non est, Vespasianum eo anno Consulem fuisse, quo quinquennalia edidit, in iisque Pacis templum confecisse. Neque minus hoc patet, ex Josephi testimonio, jam supra laudato, quo perhibet, hoc templum exstructum esse post triumphos, & firmam Imperii constitutionem. Jam scimus Vespasianum una cum Tito triumphum egisse A. C. LXXI. mensi Aprili ob Judaeam nimis captam, & vel sub initium Imperii vel in quinquennalibus, Imperatores leges imperique formam indicasse. Quare exinde probabile fit, eo quoque anno Pacis templum esse exstructum.

Exstruxit autem istud templum, auctore Suetonio, foro proximum. Quum autem Romae multa fuerint fora: Senecae enim aetate tria erant,<sup>2)</sup> Romanum, Julium, & Augustum, & postea plura accesserunt, Transitorium, Vlpium &c.<sup>3)</sup> jure meritoque quaeritur,

cui

<sup>1)</sup> Cap. 35. in vita Aurel.

<sup>2)</sup> de Ira. c. 9.

<sup>3)</sup> Lipsii Admir. Lib. III. c. 7.

cui foro fuerit proximum. Plerique in ea sunt sententia, forum Transitorium intelligendum esse. Cujus rei confirmandae causa provocant ad Martialem:<sup>1)</sup>

Limina post Pacis, Palladiumque forum.

Quorum verborum sensus est: ne ignores ubi sim venalis, domicilium mihi est, ad Pacis templum & Palladium, seu Transitorium forum, in quarta urbis regione. Juvat hic juvenum causa adnotasse, Romanam olim in IV. regiones, seu partes majores, quarum nomina erant, Esquilina, Collina, Palatina, & Suburrana, sub Augusto vero in XIV. regiones esse divisani.<sup>2)</sup>

In causis autem investigandis, quibus Vespasianus motus Pacis templum exstruxit, duo in primis spectasse videtur, quorum alterum, auctore Baronio fuit, ut pro Pacis auctore, a Prophetis descripto, haberetur, alterum, ut virtutis & felicitatis suae, stabilitique in domo sua Imperii monumentum exstaret in aeternum. Ad prius quod attinet, Baronius<sup>3)</sup> in ea est haeresi, ut putet, Vespasianum, vaticinia de Christo Pacis principe agentia, Judaeorum, in primis Josephi adulacione in se transtulisse. Vespasianum Pacis studiosissimum fuisse, satis superque ex historia ejus vitae constat. Sub eo etiam Jani templum, argumentum pacis & bona fide armorum cessantium, clausum esse, auctor est Orosius:<sup>4)</sup> Jure, inquit, idem honos ultiōni Passiois Domini impensus est, qui etiam Nativitati fuerat attributus, ut nempe Janus clauderetur. In quo tamen Orosius cum multis aliis in errore

<sup>1)</sup> Lib. I. epig. 3. v. 8.

<sup>2)</sup> Suet. in Aug. c. 30. Dio Lib. LV.

<sup>3)</sup> Annal. Tom. I.

<sup>4)</sup> Lib. VII. c. 6.

versatur, quod nascente Christo totum terrarum orbem pacatum, Janique templum clausum fuisse contendat.<sup>1)</sup> Quamquam autem Vespasianus Paci deditissimus fuit, tamen exinde non sequitur, quod vaticinia de Christo Pacis auctore agentia in se impleta esse crediderit. Videtur potius Pacis templum exstruxisse, ut monumentum virtutis & felicitatis suaè, stabilitique in domo sua imperii esset. Patet hoc, tam ex loco Josephi, supra laudato, quo dicit, post firmam imperii Romani constitutionem, h. e. postquam totus terrarum orbis erat placatus, Judaei rebelles victi, Jani templum clausum, Titus & Domitianus in societatem Imperii assumti, firmaque leges in quinquennalibus latae erant; Pacis templum a Claudio coeptum, dedicatum est: quam ex inscriptione, quae in aedibus Farnesianis visitur:

PACI AETERNAE  
DOMVS  
IMP. VESPASIANI  
CAESARIS AVG.  
LIBERORVMQUE EIVS  
SACRVM.<sup>1)</sup>

In qua re Vespasianus Romanorum morem fecutus est, quo accepta aliqua insigni victoria, ex manubiis & praeda, aut templo, aut curias aut basilicas exstruxerunt, in primis Diis, quos ex urbibus hostium evocaverunt, quique Romae nondum exstructa habebant templo. Sed satis de his; nunc nobis properandum est ad hujus Templi effigiem & incendium.

B ij Eff.

<sup>1)</sup> vid. Massoni templum Jani Christo nascente reseratum. Rotterod. 1706. 8.

<sup>2)</sup> vid. Dorshei Com. in. Epist. Jud. p. 32. Celebr. à Seelen Mis. Part. I. diff. XV. de Dea Pacis p. 315.

Effigiem Pacis Templi, teste Spanhemio,<sup>1)</sup> exhibent praeclari Vespasiani & Titi numi: aedem nimirum hexastylon plurimis statuis in zophoro ac tribus intra ipsam aedem: aliis duabus ad ejus latera, & duabus aquilis supra epistylum, ornatam cum litteris infra S. P. Q. R. Historici uno ore & consentiente voce praedicant hocce templum fuisse splendidissimum. Testis omni fide dignus est Josephus, qui sine dubio oculis contemplatus est illud templum cum Romae esset.<sup>2)</sup> Contentit Vespasianum in eo exstruendo divitiarum largitate usum esse, illudque perfectis picturae ac figmentorum operibus exornasse. Recenset nonnulla ejusmodi perfecta opera, quae in Pacis templo fuerunt Plinius,<sup>3)</sup> auctor coaevus. Pinxit Timanthes, inquit, & Herroa absolutissimi operis, artem ipsam complexus pingendi viros, quod opus nunc Romae in templo Pacis est. Et in loco,<sup>4)</sup> quo opera ex aere a praestantissimis artificibus facta, recensuit: ex omnibus, inquit, quae retuli clarissima quaeque in urbe jam sunt dicata a Vespasiano Principe in templo Pacis. Neque minus, eodem teste,<sup>4)</sup> fuit in eo templo effigies Veneris marmorea; cuius artificis nomen vetustate fuit oblitteratum. Praeterea huic templo inseruit omnia pretiosa, quae tam in templo Hierosolymitano fuerant, quam quae, teste Josepho, reliquis Judaeis propria ante Judaeam captam fuerant. Recenset praeccipua, quae Romanam translata, in triumpho visa, & Pacis templo reposita sunt Josephus.<sup>5)</sup> Ex quibus efficitur Plinium, jure me-

<sup>1)</sup> De usu & praest. numis. Tom. II. p. 648. ubi effigies delineata cernitur.

<sup>2)</sup> In. Hist. Nat. Lib. XXXV. c. 10.

<sup>3)</sup> Lib. XXXIV. c. 8.

<sup>4)</sup> Lib. XXXVI. c. 5.

<sup>5)</sup> De bello Jud. Lib. VII. c. 5. ed. Hay. p. 414. s. Relandus de spoliis templi Hier.

ritoque hoc templum inter miracula mundi retulisse. Verum, inquit,<sup>1)</sup> & ad urbis nostrae miracula transire conveniat — & sic quoque terrarum orbem victum ostendere? nonne inter magnifica, templum Pacis Vespasiani Augusti Imp. pulcherrima operum, quae unquam. Cum quo consentit Herodianus,<sup>2)</sup> qui de templo Pacis scribit: Fuit opus cunctorum tota urbe maximum & pulcherrimum, idem templorum omnium opulentissimum, egregieque munitum, multoque auro & argento ornatum.

Quamquam autem hocce templum a Vespasiano tam splendidum, tamque magnificentum exstructum erat eo consilio, ut aeternum esset, ut supra demonstravi, virtutis felicitatisque suae monumentum: tamen temporibus Commodi, opinione citius igne, vel coelitus delapo, vel hominum malitia admoto, dirutum ac devastatum est. Sunt nonnulli, qui illud templum imperante Commodo eadem nocte igne absumtum esse dicant, qua Optimus Servator in lucem editus est; at Celebr. Baronijs<sup>3)</sup> iam eos refutavit, errorisque convictit. Destituitur enim haec opinio omni antiquorum scriptorum consensu: praeterea & mensis & dies, quo Christus natus est, a nemine adhuc accurate & certo definiri ac determinari potuit. Quare potius cum Herodiano, modo laudato, putamus hocce templum combustum esse: ἐτε δυθε προύπαξεντος, ἐτε νεφῶν αἰθριωδέντων, σεισμός δὲ ὀλγύς περγειομένης πᾶν τὸ τῆς Εἰρήνης τέμενος κατεφλέχθη: i. e. cum neque imbræ neque nubes, tantumque exiguis terrae motus antecessisset, totum de improviso Pacis templum incendio consumtum est. Neque minus cum hoc Herodiani testimonio consentiunt tam ea, quæ in Galeni li-

B iij bro,

<sup>1)</sup> Lib. XXXVI. c. 15.

<sup>2)</sup> Lib. I. c. 14. p. 45, ed. Boecleri.

<sup>3)</sup> Annal. Tom. I.

bro, quam scripsit Caracalla & Severo imperantibus,<sup>1)</sup> legimus, Commodi temporibus illud templum, una cum ἀπαθήη, h. e. cum iis rebus, quae securitatis causa ibi depositae erant, combustum esse: ὅπότε καὶ τὸ τῆς Ἐγένης τέμενος ἐκαύθη, quando etiam Pacis templum arsit: quam numi Commodo, inter quos, auctore Spanhemio<sup>2)</sup> nonnulli reperiuntur, in quibus illud Pacis templum visitur. Ex quo patet ejus temporibus illud templum adhuc stetisse, & combustum esse. Cui sententiae tamen, uti ex Miscellaneis Celeb. à Seelen<sup>3)</sup> dидici, obstat videtur locus quidam Ammiani Marcellini,<sup>4)</sup> quo commemorat, Constantium Romam ingressum inter alia admiranda vidisse Pacis forum. At bene monuit, eum non ipsum Pacis templum, sed forum Pacis, h. e. forum transitorium, ubi Pacis templum olim fuit exstructum, vidisse. Quare sine omni errandi formidine contendimus, illud splendidissimum aedificium Commodo temporibus factum esse νεών περανόβλητον, templum fulmine disiectum.<sup>5)</sup>

Quemadmodum autem tam Graeci quam Latini Pacem divino prosecuti sunt honore, eique tam aras, quam templa magnificentissima exstruxerunt: ita etiam Schola Nostra, bello fere omnia vastante, sarta tectaque conservata, suum esse putavit, hoc singulare DEI beneficium grata mente agnoscere, DÉO, O. M. Pacis auctori decentissimas solvere gratias pro Pace haud ita pridem recuperata, toti qui

<sup>1)</sup> De Antid. Lib. I. p. 433.

<sup>2)</sup> De usu praest. num. Tom. II. p. 648.

<sup>3)</sup> Tom. I. diss. 15. p. 315.

<sup>4)</sup> Lib. XVI. red. gest. p. 132. ed. Valeſ.

<sup>5)</sup> Procopius de bello Gothicō Lib. IV.

dem Saxoniae dulci & necessaria, nulli tamen, quam Scholis dulciori, eique monumentum, nulla ignis flamma diruendum erigere, h. e. Pacem non quidem, ut superstitioni addicti, ut Deam, colere, sed ut bonum DEI praestantissimum omni tempore omnique loco pie agnoscere. Quod gaudium ob recuperatam pacem, diu anxie efflagitatam, ut publice quoque declareret, septem optimae spei juvenes, quorum quatuor Choro Musico hujus Scholae adscripti sunt, reliqui tres autem qui tertio, sexto & septimo loco dicturi sunt, Scholam nostram ab extra, uti dicunt, frequentant, sua animi cogitata, brevibus orationibus, huic tempori & rei accommodatis exprimere allaborabunt. Cui rei, quoniam beneficii istius memoria neque tempore neque die definienda est, dictus est, remotis omnibus impedimentis, dies XV. Aprilis. Dicturi autem sunt eo ordine:

- I. Carolus Gottlob Wagnerus, Hennersdorffensis, demonstrabit sermone latino, Praesens tempus pie esse colendum:
- II. Christianus Gottlob Grohmannus, Weissigenensis, Effigiem Pacis carmine epico, exprimet:
- III. Carolus Fridericus Schubarthus, Dresd. sermone gallico, de Commodis Pacis, in Scholas redundantibus, dicet:
- IV. Joannes Christophorus Foersterus, Lohmensis, Pacem Reipubl. Palladium esse, sermone Latino, docebit:
- V. Joannes Gottlieb Gerlachius, Erlaviensis, de Fetialibus Roman. Pacis oratoribus, sermone Latino orationem habebit:
- VI. Chri-

**VI.** Christianus Fridericus Glasewaldus, Dresd. Oleam

Pacis Symbolum fuisse, lingua vernacula comprobabit: Tan-  
demque

**VII.** Carolus Fridericus Gottlob Stoermer, Dresd. de  
Osculo Pacis, adjectis piis votis pro Pace conservanda, &

felici Regis Clem. reditu carmen recitabit latinum.

Quos juvenes modestos ac diligentes, ut Patroni & Fautores  
Scholarum doctrinarumque, sua praesentia ac frequentia ornare, ea-  
que eos magis magisque excitare velint, enixe rogo. Scripsi in

Schola Novae Vrbis ad Dresdam a. d. XVII. Cal. April.

A. C. CCC CI LXIII.



**IV.** Christophe Goullot de la Motte, Paris.

**V.** Jeanne Goullot de la Motte, Paris.

**VI.** Jeanne Goullot de la Motte, Paris.

**VI.** Jeanne Goullot de la Motte, Paris.

W. 3119 BK

n. C.

am  
an-  
oo  
od  
de  
&  
DBS  
ores  
ea-  
in  
oii  
eif

I  
II  
III  
IV





ULB Halle


008 318 956

3





B.I.G.



I 728

PROLVSIO  
DE  
TEMPLO PACIS  
A  
VESPASIANO EXSTRVCTO  
QVA  
AVDIENDAS VII. ORATIONES  
MÉMORIAE  
ACIS RESTAVRATAE  
CONSECRATAS  
IN  
RIA SENATORIA NOVÆ VRBIS  
AD DRESDAM  
DIE XV. APRIL. MDCC LXIII.  
HOR. II. HABENDAS  
PATRONOS ET FAVTORES  
HUMANISSIME INVITAT  
CHRISTIANVS FRIDERICVS QVELLIUS  
RECTOR.

FRIDERICOSTADII  
EX TYPOGRAPHEO HAGENMULLERI.